



Disputatio medica inauguralis de mensium suppressione

<https://hdl.handle.net/1874/343261>

36

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
Mensium Suppressione,

QVAM

SUMMO FAVENTE NUMINE

Ex autoritate Magnifici Rectoris,
D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ, Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu, ut & Gratiœ

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in arte MEDICA Honoribus ac

Privilegiis legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOANNES TROTTERUS, Scotus.

Ad diem 26. Februarii, horâ locoq[ue] solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, ab Ic LXXXVI.

Clarissimis, spectatissimis, doctissimoque VIRIS

- D. ANDREÆ BALFOUR, Equiti aurato, Archiatro & Praesidi excellentissimo, consultissimo:
D. ANDREÆ CRANSTOUN, Censoribus prudentissimis, æquissimis;
D. JACOBO HACKET ceterisque regii medicorum apud Edinburgum collegii sociis literatissimis, ornatissimis.
D. ROGERO HOG, Equiti aurato, Baroni de Harcars, in utroque supremo Scotiæ Senatu Juridico, tum civili tum criminali Senatori gravissimo, Justissimo, fautori meo benignissimo, plurimum colendo.
D. JACOBO COCKBURN, Equiti aurato, Baroni de Ryslaw, sanguinis & benevolentiae erga me necessitudinibus ad cines res venerando.
D. ANDREÆ KER de MORISTOUN, Viro in omni laudabili scientia consummatissimo, mihi plurimum honorando.
D. ALEXANDRO HOOME, à Cœnobio Sancti Bathenii, avunculo meo charissimo, ad ultima suspiria diligendo.
D. ALEXANDRO SUINTOUN de MERSINTOUN, Jur. Cons. peritissimo, consanguineo meo præstantissimo, in æternum colendo.
D. CAROLO SUINTOUN, Hæredi de Mersintoun, cognato meo charissimo.
D. JOANNI TROTTER de MORTONHALL, Amico meo plurimum æstimando.

N E C N O N

Integerrimo probatissimoque VIRO

- D. ALEXANDRO TROTTER de CATTLESHIELL, Parenti meo optimo, reverendissimo, cui pro vehementi amore, prudentissima indulgentia, insuperabili in educatione cura, pio, honestissimoque in vita utili & felici ducenda exemplo nunquam paria referre possum.
D. ALEXANDRO TROTTER Hæredi de Cattlesheill, fratri meo charissimo, dilectissimo.

Has Theses Inaugurales in grati animi tekmerion sacras vult

JOANNES TROTTERUS,
Auctor & Def.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MENSIMUM SUPPRESSIONE.

THEISIS I.



um contraria juxta se posita patentiores reddant veritatem, ideo de *Mensium suppressione* acturi, non inopportunum duximus, quædam de eorum fluxu naturali præmittere, quo status præternaturalis melius innotesceret. Atque primò *menses*, vel *menstrua* ita nominantur ratione temporis quo redire solent. Et nihil aliud sunt quām fluxus seu excretio sanguinis ex uteri poris vel vasis, quæ accidit foeminas circa annum ætatis decimumquintum, & durat ad annum ut plurimum quinquagesimum, & singulisredit mensibus in foeminis bene sanis, exceptis graviditatis & lactationis temporibus; verū non desunt exempla quarundam mulierum quæ etiam hisce temporibus menstruum patiuntur fluxum, idque sine noxa aliqua manifesta, sed verum magis ut plurimum est quod divus senex asseruit, quod bis quibus fluant menses tempore graviditatis, fetus se bene habere est impossibile.

II. *Causas* hujus fluxūs menstrui varias assignarunt authores: Quidam enim foeminas esse maribus calidores existimantes, putarunt ipsas majorem sanguinis quantitatem generare, & sic fluxum hunc à plethora oriri asseruerunt: Et magis hac in sententia confirmati erant cum viderunt foeminas tabidis vel hæmoragiā aliquam notabilem passis hunc fluxum fisti. Alii periodum observantes menstrualem cum mense lunari convenire, imò in quibusdam foeminas cum lunæ phasibus exactè quadrare, statuerunt fermentum quoddam lunare quod fluxum hunc in microcosmo efficeret, sicut æstum vel fluxum & refluxum maris in macrocosmo producere autuārunt. Alii nondum hisce conjecturis contenti, aliud fermentum quoddam salinum in uteri poris inhærens imaginati sunt quod singulis mensibus in sufficienti copia collectum, fermentationem in uteri poris excitaret, eumque ad sanguinem expellendum & ipsum eodem tempore diluendum irri-

4 DISPUTATIO MEDICA

taret. Alii alias multas finxerunt causas; verum quicquid sit, ipsam determinare nobis in præsens non est animus: Eam ergo mittimus, & notamus hujus fluxus remoram vel suppressionem præternaturalem quam plurima creare mala & periculosa sati inducere symptomata, quorum quædam infrà notabimus.

III. Hisce ergo præmissis, mensum suppressorum causam inquirimus, & triplicem posse assignari putamus, scilicet vel ratione uteri, vel ratione vasorum uteri, vel denique ratione sanguinis excernendi.

IV. Ad primum quod attinet, uteri substantia læditur vel ab aëre externo, cùm pori ejus obstruuntur per quos fluere deberent menses, sic sanguini exitus præcluditur: vel 2. læditur à materia aliqua tenaci pituitosa ipsum etiam obstruente & aliquando multa alia incommoda afferente. Dum enim in quantitate aliqua colligitur, quia non motetur, acescere quasi incipit, fibras arrodit, unde inflammatio fit, & postea si materia ad fermentationem ineundam sit apta, tum suppuratur & in pus convertitur, & relinquitur ulcus. Si verò materia magis terrea sit, tum schirros producit & tumores sati dolorificos, & fortè cancrosos. Si uterus ab aëre externo frigido obstruitur, tum oriuntur dolores lumborum & hypogastrii, idque præcipue circa tempus fluxus menstrui ordinarii; tum enim sanguis ut ordinario solebat fermentans exitum querit, verum poros inveniens oclusos per quos antea exire solebat, vasa in quibus continetur distendit, quia novo cum sanguine à tergo pressus, vicinas partes gravat, unde dolor ille gravatus & quasi ponderosus: verum cùm diu intra hęc vasa nequit hic sanguis hospitari (id enim prohibent leges circulationis) tum cum reliqua massa circumfertur, ipsique fermentationem peregrinam inducit, (sive à fermento aliquo vel à quacunque alia qualitate non determinabo) & vasa totius corporis distendit, & dolores vagos hic & illic efficit, & præcipue dolores capitis ob membranas cerebri expansas. Et si fortè ægra apoplexiā sanguinem evaserit (quod maximè metuendum cùm arteriæ intra cerebrum unicā tantum donantur tunicā) tum sanguis per corpus maxima cum violentia circulans, viam sibi sternit, & exitum invenit, aperiendo vasa aliquando narium, oculorum, gingivarum, mammarum, & hæmorroidum, unde largæ sati hæmoragiæ, quæ juxta Hippocratis dictum bonum evenitum prædicant. Si verò vasa stomachi gastrica sunt aperta, ut non raro accidit, tum sanguis coagulatur, & putrefacti periculum subit, unde mors infallibiter sequitur: Et si vasa pulmonum suum effun-

I N A U G U R A L I S.

effundunt sanguinem, tum oriuntur hæmoptyes aliaque symptomata maximè periculosa. Sunt tamen quædam sc̄eminae quibus hæmorigæ isthæc fiunt periodicæ idque sine noxa s̄epius accidit. Sed præstare putamus sanguinem potius per venæ sectionem minuere, donec impedimentis remotis, sanguis possit per uterum (uti naturaliter fit) evacuari.

V. Diximus secundò vasa uteri posse menses remorari, idque vel quando nimia pinguedine comprimuntur, vel quando eorum orificia cicatrice obducuntur, vel denique quando uterus situm mutavit, & sic distorquetur, & ita vasa quæ antea quasi recta tendebant, jam incurvantur & sanguinis exitus impeditur.

VI. Tertio demum loco sanguinem excernendum posse mensium fluxum impedire notavimus, & cùm s̄epissime accidat, ipsius vitium paulò attentiùs considerabimus; quod ut majore cum claritate faciamus, notabimus, sanguinem naturaliter debere esse fluidum, balsamicum, spirituosum & ad fermentandum aptum, & hæc constitutio dependere videtur a principiorum (quæ quinque vulgo à chimicis recensentur) sanguinem componentium debitâ inter se mixturâ & proportione; horum enim si unum vel alterum deficit vel abundat, indè diversa oriuntur symptomata. Si, exempli gratia, sal quod in sanguine est naturaliter volatile (quod chymia satis demonstrat) magis sit acidum, & fixum, quam par est, tum ipsius partes sibi invicem nimis approximantur: hinc motus tardior sanguinis, & ipsius fermentatio impeditur. Si oleum cum terra nimis abundat, tum sanguis fit latus, viscidus, & ad circulandum ferè ineptus si aqua nimia in quantitate sanguini inest, tum obruuntur spiritus & cruditates per totum corpus abundant, atque de horum defectu & mixtura inæquali discurrere esset facillimum, verùm potius operæ pretium duximus ad causas attendere quæ has in sanguine alterationes inducere valent. Atque primò occurruunt sex non naturalia quæ maximam in corpora nostra vim habere videntur. Aer itaque si inspiratur crassus humidus, tum particulis suis nitrosis ut plurimum destituitur quæ cum sanguine in pulmonibus commistæ ipsi deberent fluiditatem & fermentabilitatem conciliare: his verò deficientibus, sanguis spissus, compactus & ad circulandum inidoneus evadit. Et quantum potest aér in nostra corpora, non ostendam, cùm nulli non obvium sit: & certum est pestem, scorbutum aliaque multa mala ex aëris constitutione pendere, & s̄epius magno mortalium damno in regionem afferri pestem, & regnare scorbutum. Cibus & potus vel æsculenta & potulenta ad sanitatem summopere con-

6 DISPUTATIO MEDICA

ducunt; si enim ingeruntur salsa, acida & tardæ concoctionis, tum certò fiet cchilus lentus, tenax, & ex hoc talis fiet sanguis, & indè tales spiritus ritè functiones animales unde perfici nequeunt. Somnus si nimius erit, tum sanguis ob motū defectum crassior evadit & spiritus in minori copia & minus subtiles generantur, unde habetudo & sensuum torpore evenit. Vigilie nimiae spiritus dissipant & horum motum interrumpunt, unde œconomia animalis læditur, & quod caret alterna requie durabile non est, motus corporis nimius poros reddit nimis patulos, sic spiritus dissipantur & sanguis effœtus redditur unde fermentationes impediuntur. E contrà quies nimia sanguinis volatilizationem inhibet, perspirationem sufflaminat, & obstructiones parit. Externanda naturalia si nimia in quantitate deponuntur, tum maximè debilitant corpus, unde languet patiens; si nimis retinentur, tum sanguinem reddunt impurum, fæculentum & crassum, unde multis morbis materia suppeditatur. Denique animi pathemata si moderata sunt, sanitatem firmant, quia spiritus placidè & æqualiter per totum, corpus distribuuntur; si verò sunt immoderata, sanitatem maximè labefactant: Et certò spiritus maxima in nos posse nullus negabit qui attenderit, verbigratia, in lætitia nimia subitaneos mortes non raro accidisse, idque vel a spirituum nimia dilatatione vel dissipatione, vel cum in cordis parenchima tanto cum impetu irruunt & ipsum ita contrahunt, ut sanguis ut circuletur ipsum ingredi nequit. E contrà in tristitia nimia sanguis, ob spirituum torporem vel defectum, segnius e corde propellitur; hinc pulsus tardior, & minor, quia arterie rariùs dilatantur à sanguine hoc quasi stagnante, & in vappam degenerante. Et sic dealiis passionibus conjecturam facere poterimus. Verum nè hujus sermonis filum nimis protrahamus, ex dictis colligimus & affirmamus, sanguinem (à quacunque causarum prædictarum fiat) mensium fluxum impedientem esse acidum, crassum, salinum, & ad fermentandum ineptum; atque talem sanguinem & hunc morbum ejus productum sequuntur *symptomata* sequentia.

VII. Lassitudo spontanea est aliorum malorum quasi precursor, ideoque sese ante alia prodit, quod quicquid agimus muscularum ope indigemus, qui spiritibus inflati, omnes corporis motus producunt. Quum verò sanguis hic crassus, & viscosus per paucos suppeditet spiritus, eosque minus subtiles, hinc fiunt membra quasi defatigata, & ad munia sua obeunda magis inidonea. Etiam pandiculationes adsunt: fibræ enim à sanguinis tenacitate & fortè acredine irritatæ sese

con-

INAUGURALIS.

contrahunt ad noxiū illud expellendum; & ideo dixit Hippocrates
unamquamque partem suum habere ventriculum.

VIII. Appetitus prosternitur hujus sanguinis vitio; limpha enim quæ
in tunicam stomachi glandulosam (quæ tunica hactenus ferè ab authori-
bus neglecta, imò à multis negata, verùm mihi saepissime demonstrata
à clarissimo viro D. Du Verney Medico & Consiliario Regis Gallia-
rum ordinario, Anatomico peritissimo & oculatissimo, Preceptore
meo humanissimo, & ob suam erga me benevolentiam mihi nunquam
satis colendo) ab arteriis advehitur est aquosa, cruda, minimè spiri-
tuosa; adeoque ad ingestionem provocandam, vel digestionem perfis-
ciendam perquam inepta: hinc oritur Anorexia vel appetitus abolitio,
vel Bradupestia & fortè Lienteria, in qua ingesta per alvum excernun-
tur immutata, idque tantum à ventriculo vitiato: intestina enim suum
fecerunt officium, si crassiora excrementsa motu suo peristaltico ad
anum ut ejici possint conducterint. Et si limpha hæc magis sit acida &
salina, tum oritur fames Canina in quā appetuntur summa cum vehe-
mentia esculenta & potulenta ad humorem istum rodentem diluendum
& temperandum. Si verò magis sit crassa, & austera, tum depravatur
appetitus & fit morbus mulierum pica vel malacia dictus, in quo ap-
petuntur absurdæ quædam ut Calx, creta, carbones, & alia multa
fanis maximè noxia; quæ tamen ab illis sine ulla noxa comeduntur,
sed potius juvant: quod certè notatu dignum est, cùm videmus
naturam (sit venia verbo) sua appetere remedia, eaque talia, quæ nul-
lus medicorum rationalium præscribere auderet; cùm tamen certum
est, humorem illum austерum peccantem imbibi & ab hisce alkalicis
absorberi, & tandem ambo simul per alvum feliciter excernuntur. Et
hujus veritatem confirmat color excretorum ater, qui provenit ab
alkalicis hisce cum acido hoc & austero humore permistis, quod in
chymia versatis sat liquet. Nausea etiam & vomitus saepius ægram
vexant, idque ratione concoctionis in stomacho vitiatæ; tum enim
ingestionis ritè digesta nec sat citò expulsa, ob stomachi tunicæ mus-
culosæ debiliorem contractionem; hinc diutius retenta acescunt, &
fibris irritant, sic vehemens fit stomachi contractio & quā datâ portâ
ruere coguntur, intus contenta; & sic secundum majorem vellicationem
fit vomitus, & minorem, fit nausea; verùm hos affectus oriri posse
à spirituum motu inordinato non negamus cùm in fastidio ex ima-
ginatione tantum, & in aliis occasionibus satis pateat.

IX. Chilificatio etiam ulterius læditur ab hac eadem limpha acida &
crassa

DISPUTATIO MEDICA

craffa: dum enim in tunicam intestinalorum glandulosam impingit, debet chilo fluiditatem conciliare; verum è contra, cum eam acidam supposuimus, chilum potius incrassat & coagulat, ita ut vasorum lacteorum poros ingredi nequit, & sic oritur affectio cæliaca dicta, in qua chylus coctus quidem, sed à fæcibus non separatus, per alvum excrenitur. Et cum fistula intestinalis ab hac limpha non irrigatur nec humectatur, tum siccior evadit, & sic alvus astricta fit & fæces indurantur; unde metus aliquando ne passio iliaca succedat, in qua ob motum intestinalorum peristalticum inversum ab irritatione fibrarum & exitum à fecibus induratis præclusum, quicquid ingeritur vomitu reperitur & ad mortem usque misere torquetur patiens, denique si limpha hæc sit acida & salina, ut in stomacho notavimus (quod fieri posse non dubitamus, cùm eadem sit ratio unius ac alterius, tum tunicam bombycinam dictam corrodit & intestina ad excretiones frequentiores sollicitat, unde sequitur diarrhea; et si vasa aliqua sanguinea arroserit, tum fit dysenteria, tenesmus, & multa alia intestinalorum mala quorum explicatio nos nimium detineret, ideoque in præsens omittimus.

X. Respiratio difficilis hanc mensium suppressionem sèpius comittatur, quid sit exinde quod sanguis non satis ventilatus nec rare factus strictior & compactior evadit, & sic difficilius aërem intra suos poros admittit, ideoque lentius pulmonum vasa pertransit; sic cellulæ aëreæ comprimuntur, nec tanta in copia aërem admittunt: Animi etiam deliquia ægram infestant, quia sanguis crassus intra cordis ventriculos nequit attenuari; hinc ejus parietes nimis distenduntur à sanguine stagnante, sic impeditur circulatio pro momento uno vel altero) pulsus interrupitur, & corpus quasi exanime jacet, donec spiritus ad cor in majori copia missi sanguinem parum subtiliscent; & sic circulationem iterum restituerint: Et si sanguis magis acidus cordis fibras irritant, tum fit cordis palpitatio vel frequentior contractio.

XI. Icterus hunc affectum non tardò sequitur: Nec mirum cùm in sanguine abundet sal acidum cum particulis oleosis conjunctum, & cùm bilis talibus constat particulis, in majori quantitate generatur, & magis quam par est crassescit, & sic per ductus glandularum hepatis excretorios percolari nequit, ideo cum reliqua sanguinis massa circulatur, & cùm vasa capillaria ingreditur, ulterius pergere nequit ob visciditatem suam; ergo haerere necessum est, & sic colorem illum aureum conciliat qui icterum semper comitantur flavum.

XII. Lien ut plurimum ab hoc sanguine inquinatur, & hoc ratione

INAUGURALIS.

9

ne sui officii posse contingere putamus; cùm enim in substantiam ejus fibrosam & texturam reticularem inspicimus, maximè probabile videatur ipsum destinari ad sanguinem per arteriam splenicam allatum, intersticiis suis muscolosis & fibrosis attenuandum; ut ita divisus, & in venam portam immissus, possit sanguinis circulationem per hepatis ramos inumeros promovere; verùm cùm sanguis hic ob nimiam suam crassitudinem nequit attenuari, ita neque exitum potest invenire, adeoque in ejus parenchima detinetur, ubi aliquando ulcera, sed sèpius schirros producit, qui ad ingentem excrevisse molem visi sunt. Hæmoroides etiam sèpius his fœminis fluunt, idque non ratione sanguinis nimium fermentantis ut supra notavimus, sed quia sanguis nimis crassus & compactus ab extremitatibus rediens vasa hæmorrhoidalia (quæ rectâ sursum scandunt) nequit ascendere unde pondere suo vel acrimoniâ eorum orificia circa anum aperit & exitum invenit.

XIII. Frequenter mensium suppressionem comitatur uteri suffocatio vel passio Hysterica, in qua egræ sentiunt fese quasi strangulatas & ferè suffocatas, idque ratione globi cuiusdam ut imaginantur versus gulam ascendentis & spiritum impedientis. Hujus phænomenis ratio in hunc ferè diem ab authoribus in uteri superiora versus ascensum delata fuit; verùm minus rectè. Cuivis enim in anatomia tyroni patet, ex uteri connexione & ligamentis ipsum nè vel tantillum posse assurgeare nisi ab aliqua re distendatur, ut in fetûs vel molè gestatione. Et cùm tunc temporis fœminæ rarissimè fiunt huic affectioni obnoxiae, cùm uterus tam dilatatur, multò certè minus deberent cùm uterus pugni magnitudinem non equat; ideo ejus ratio aliunde erit desumenda; & putamus potius uterum posse materiâ aliquâ acri & rodente irritari ad fese contrahendum & noxiū illud expellendum (& revera tunc temporis materia aliqua è pudendis excernitur quæ partium contractiōnem indicat) uterus ergo ita coarctatus ligamenta distendit, & ita doles circa dorsum & lumbos causat. Et ut suffocationis metum explicemus, advertimus testiculos fœminarum seu ovaria potius (quæ constant multis vesiculis tenerrimis materiâ quadâ limpidâ refertis unde ut corrumpantur sunt aptissimæ) sèpissime in mulieribus ex passione hysterica mortuis reperta fuisse exulcerata, suppurata & pugni magnitudinem superantia; cùm tamen aliter vix pollicis magnitudinem æquant. Hæc ergo considerantes, non impossibile existimavimus, in hisce mulieribus etiam ovaria suppurata posse materiam fundere acrem & pungentem quæ ad diaphragma pertingens ipsum possit

B

exco-

10 DISPUTATIO MEDICA

excoriare & corrodere; & cùm continuò deprimi & elevari necessum habeat, hinc ipsius fibræ tenduntur & dolor certè intenditur, unde metus in inspiratione & expiratione nè dolor augeatur, ideo tam libere nequit respirare ægra. Et si fortè diaphragmatis fibræ irritatae sese contrahunt, tum possunt venam cavam (quæ ipsum pertransit) comprimere, & sanguinis in auriculam cordis dextram ingressum precludere, ita ut circulatio ob sanguinis defectum ferè cessat & ad minus retardatur, unde syncope potest oriri. Præterea, si musculi abdominis, vel, ut quibusdam arridet, mesenterium materiâ hâc acri afficiuntur, tum spasmus inducitur, & sese contrahunt, contracti dia phragma versus superiora premunt, atque ita pulmones nequeunt ad amplum sese dilatare; sic sanguis ipsos lentiùs pertransit, unde pulsus rarus fit ob sanguinis inopiam. Atque sic his consideratis, putamus omnia symptomata quæ uteri strangulatum comitantur posse explicari.

XIV. Fluor mulierum albus raro abest si mensium suppressio adsit. Hujus fluxus materiam pituitam dixerunt authores, quia nullum alium humorem album in corpore invenerunt: verùm cùm humores hi in sanguine fano locum jam non amplius obtineant, advertimus aliquando sanguinem ex scorbuticorum venis per phlebotomiam extractum, in materiam quandam albam & tenacem converti; & hoc certè provenit à sanguinis cruditate, viscositate, & debita fermentatione impedita. Et cum jam talem sanguinem supposuimus in fœminis mensium suppressione laborantibus, hinc existimamus materiam hanc albam non rectè sanguificatam (si ita loqui licet) posse mensium loco excerni, cùm quibusdam iisdem contingat periodis quibus menstrua fluere solebant. Verùm non dubitamus quin glandulæ vaginales possunt nimis relaxari, & lympham suam deponere, quæ nomine fluoris albi poterit venire, nec alium ullum humor videmus culpandum. Chlorosis etiam vel morbus virginum pallidus saepius præsens est, quia sanguis crassus viscosus vasa capillaria nequit ingredi, vel ea obstruit unde alborem contrahunt partes præsertim in facie ob sanguinis absentiam qui rubedinem conciliat.

XV. Fœminæ quæ diutius hac mensium suppressione laborarunt, nequeunt motum aliquem vel laborem sustinere, nec vel paulùm ambulare, quin ipsis pedes & malleoli intumescunt; idque præcipue accidit circa vesperam. Hujus ratio est, quod spiritus qui sanguinem in motu & mixtura debita detinebant, exercitio aliquo vel labore dissipantur, & tum sanguis minus spirituosus nequit corpus ascendere:

verùm

verum pars serosa quae quasi superflua est respectu paucorum spirituum qui supersunt, secedit maxima ex parte à fibrose sanguinis substantia, quae circulatur, & partem illam serosam relinquit quae tumores istos ædematodos repræsentat. Et hujus veritas probatur exinde, quod cum circulatio melius fiat in lecto calido & inter cubandum, tum enim corpus non ita erectum est, hinc etiam post somnum spiritus restaurantur, & sanguis iterum debitè miscetur, unde manè sequenti omnis tumor disparet. Denique sceminae haæ flatus circa hypocondria sentiunt qui proveniunt à sanguinis & humorum crassitie poros intestinalium obstruente & perspirationem impidente; Sed cum crassi & viscosi hujus sanguinis effectus & symptomata hec sic breviter (prout nostra potuit tenuitas) explicavimus, aliis non immorabitur brevitati studentes; sed nos ad curam accingemus, & ut majore cum ordine procedamus, *diagnosin & prognosin* præmittere visum est.

XVI. Effectum hunc ab aliis distinguere quam à graviditate vix necessarium duximus; alia enim occasiones & ægrarum relationes ipsum sat's discriminantur. Primo ergo gravidæ ut plurimum colorem habent sat's vigentem & rubentem, haæ vero morbidæ, colore ut plurimum ex pallido virescente foedantur. 2. Malum in gravidis quotidie minuitur, his verò mensium remorâ præternaturali laborantibus malum indies augetur. 3. In gravidis situs infantis intra spatum quadrimestre tactu dignoscitur, & motum habere incipit infans; illis verò ægris nihil tale sentitur. Denique in gravidis, uteri orificium exactè clausum sentitur, & instar fibulae contractum, illis nihil tale invenitur. Interm, si mulier præsentis viri gaudet consortio, præstabit scrupulosum quam temerarium agere, & pro aliquo tempore à medicamentorum usu abstinentum erit, quum quæ menses ad pellendas solent usurpari, saepius fœtum tenellum in lucem excutiunt immaturum.

XVII. Prognosin quod attinet, eventus sat's infelix saepius est: maxima enim ex parte in cachexiam terminatur, quæ ab humorum debita fermentatione impedita, & digestione & evacuatione excrementorum depravata ortum dicit, hinc sanguis crassus, acidus & ad circulandum ineptus ferè evadit, & ideo cruditates in corpore cumulantur quæ ipsum quasi inficiunt, (si ita loqui licet) ita ut alicujus rei impressionem retinet, sicut panis non fermentatus. Et si humores isti crudi in corpore abundantes in acidum vergunt & salini sunt, tum partium nutrimentum non tantum depravant ut cum crudi erant; sed etiam partes pingues & oleosas abradunt & consumunt, atque tandem ma-

12 D I S P U T A T I O M E D I C A

rasmum vel tabem inducunt. Denique, si cura diutius differtur, tum semper in hydrope desinit, vel universalem quæ Leucophlegmatia & Anasarca dicitur, vel in particularem abdominis ascitem dictam, in qua serum sanguinis magis tenuer per membranas percolatur, vel è vasibus lymphaticis ruptis continuè depluit in abdominis cavum, ubi partes intus contentas inquinat & tandem sine remediorum ope ægram suffocat, adeoque eventus hic nihil minus quam mortem minitans, debet ægras ad tempestivum remediorum usum incitare, cùm periculum sit in mora.

XVIII. His ergo prænotatis cùm mensum suppressionis varias assignaverimus causas, ideo *Cura* secundùm ipsas erit dirigenda, ut iis remotis cessare possint effectus. Primo itaque diximus uteri obstruktionem posse hunc affectum producere; poris enim occlusis sive ab aëre externo, sive à materia aliqua crassa & viscosa, tum sanguinis exitus impeditur: primum ergo indicans erit ut pori aperiantur & deobstruantur, materia obstruens dissipetur & attenuetur, & per transpirationem vel aliter educatur: atque ut intentum assequi possimus maximè proprii mihi videntur fatus & infessus calidi ex herbis aromaticis quæ scatent sale volatili & particulis acutis & spirituosis, quæ possint poros aperire & materiam peccantem attenuare & dissipare. Et ratio quare potius fatus & infessus isti mihi magis arrident quam salia volatilia intro per os sumpta est, quod scilicet salia isthæc & alia spirituosa intro per os sumpta immediatè agunt in sanguinem, ipsumque fatigant reddunt magis volatilem, fluidum & spirituosum, & ad circulandum aliaque munera obeunda magis idoneum: Sed hoc nihil facit ad uterum magis quam ad reliquum corporis; non enim latè vitium in ipso sanguine sed in partibus per quas fluere deberent menses supponimus: verum fatus isti & infessus ex hisce spirituosis facti immediatè agunt in partem affectam & particulis suis acutis deobstruant, & materiam dissipant obstruentem, & in halitus resolvunt, & sic optatum assequimur effectum; sequentia ergo possunt esse in usu.

℞. Radicum Raphan. rusticæ., enul. campan. Gentian. aristoch. rotund. a. ℥. folior. absinth. menth. origan. rosmarin. salv. pulleg. sabin. a. mj. florum Camomil. lavendul. matricar. a. m. seminum anis. fenicul. dauc. cretic. a. ʒij. Contundantur & incidentur omnia & indantur duobus ferculis laneis, & coquantur per horæ quadrantes (si enim diutius coquuntur quod volatile est perit) in aquæ communis q. s. & sub finem addatur vini albi vel Rhenani lib & fiat cum hoc

INAUGURALIS.

13

hoc decocto bis in die fatus, & super stuphas alternatim calefactas per semihorium infessus, & hujus usum continuabit ægra per septimanam unam vel alteram, singulis quatuor diebus renovando decoctum. Et quatriuum ante tempus ordinarium fluxus menstrui sumat sequentis tincturæ guttulas aliquot in haustu vini albi calidi vel Rhenani.

¶. Croci optimi Castorei ana 3lb. spic. nard. 3j. m. & terantur param, tum indantur phialæ, & superaffundatur spiritus vini optimi 3ii. digerant per tempus aliquod & decantetur tinctura usui prædicto servanda; atque sic horum usu pori recluduntur, & aperiuntur, & sanguis magis fluidus & ut possit poros uteri subire magis aptus redditur; & sic iterum ordinarium foemina patiuntur mensium fluxum & sanitatem recuperant, verum advertendum, in horum fomentorum usu, ut ægra quam maximè ab aëre externo frigido caveat, aliter enim aër poros apertos facillimè ingrediens, malum augebit.

XIX. Secundo loco notavimus uteri vasa posse menses suppressas reddere, idque vel quando nimium comprimuntur a pinguedine, vel quando uterus situm mutavit, & sic vasa distorquentur, vel tertio quando ipsorum orificia citatrice obducuntur, ut post partum laboriosum accidere potest; vel ab obstetricis ignorantia placentam rudiūs ab utero separantis. Et a quacunque sit causa, sciendum est malum esse immedicable, nec tantum non prosunt remedia, sed etiam nocent: Et præstaret sanguinis quantitatem minuere venæ sectione ad annum ætatis quadragesimum & ultra si opus esset, quod ægræ conditio sati ostenderet. Ad nimiam pinguedinem quod attinet, quæ possit vasa comprimere, vix alio curatur modo, quam totius corporis extenuatione, quod fieri possit victus tenuitate & siccitate, & frequentioribus evacuationibus: Et loco vini vel cervisiæ vulgaris, decoctum Guaici possit in usu esse vice potūs ordinarii: denique uterus si situm mutavit & vasorum distorsioni locum præbuit, ut quando ligamenta ipsius nimis relaxantur vel rumpuntur, tum raro vel nunquam curam admittit: verum hic defectus poterit pro tempore suppleri ope pessarii cuiusdam (hisce pessariis maximo cum comodo utuntur in Galliis in uteri distorsione & procidentia) quod fit ex fustulo ligni tenuis & levis figuræ ovalis trium digitorum latitudine & totidem in longitudine. In hujus medio foramen excavatur pollicem admittens, & hoc pessarium (ut vocant) cerà obductum in vagina intruditur, usque dum orificium uteri per foramen parum eminere sentitur, & ibi sedem figit & fluunt menses per hoc foramen sati commodè, & a foemina sine ulla molestia gestatur.

XX.

14 D I S P U T A T I O M E D I C A

XX. Tertio denique loco sanguinem qui materiam menstruorum facit posse menses remorari affirmavimus: cum enim latus, crassus & viscosus factus est sanguis, ideoque ad motum incptus quo fermentations ritè perfici deberent, hinc oriri cachexian & alia symptomata demonstravimus; & cum imminere hydropem omnibus pateat absque remediorum ope ratione humorum excrementitiorum ubique per totum corpus stagnantium, nullus est qui non videt humorum copiam esse minuendam ut eorum loco possint succedere sanguis & succus nutritius laudabilis, quibus possint partes roborari, nutriti, & spiritus ad munia sua obeunda idonei possint generari, & uno verbo, cœconomia animalis possit ad integrum restaurari. Humorum hæc diminutio fieri potest evacuationibus repetitis per alvum, per urinas, & per transpirationem per cutis poros; verum cum ipsos crudos, indigestos & tenaces suprà probavimus, rationi maximè convenit aureum istud Hippocratis effatum quod Concoctis non crudis mederi debemus; si enim viscositas & aciditas humorum non tollatur aliquatenus saltem, antequam medicamenta adhibita erunt, tum remediorum vires obtunduntur & enervantur, & cum nulla sit purgatio notabilis, vel transpiratio major quam ordinari, quin fermentatio sanguinis & aliorum liquorum in corpore aucta sit, & cum omnia viscida (ut humores jam diximus viscosos) fermentationes impediunt, intentum assequi sine maxima molestia erit impossibile. Itaque primum quod faciendum consulimus est, ut vena in brachio tundatur, & sanguinis unciae aliquot educantur; sic enim quod remanet sanguinis melius circulum suum absolvit & ejus status melius dignoscitur, utrum scilicet sit magis spissus an aquosus; sic possunt forte medicamentorum formulæ vel materia alterari. Interim si ægra maximè sit debilitas & vires non constent, tum parcâ manu sanguis erit mittendus, aliter periculum est ne brevi temporis spatio fatis cedat: phlebotomiâ ergo celebratâvel omissâ prot, conditio egræ fese habebit, apozema sequens prescribatur.

R. Radicum levistic. imperator. enul. campan. d. 3ij. foliorum salvie menth. puleg. absinth. fumar. a. ms. florum lavendul. rosmarin. calendul. a. pi. seminum apii fenicul. dauc. cretic. a. 3j. granorum paradisi Cardamom. min. a. 3f. cinam. cariophil. & macis a. 3j. contusa & incisa omnia indantur vasi alicui appropriato & superaffundatur vini R. henani lib.j. & per diem integrum in loco calido digerant & postea colentur, & colatura servetur usui dicendo.

R. Hu-

INAUGURALIS.

19

R. Hujus colaturæ $\frac{3}{4}$ iv aquæ theriacal. syr. menth. a. $\frac{3}{4}$ l. tart. vitriolat. $\frac{3}{4}$ l. misce ut fiat haustulus manè & vesperi sumendus & continuet ægra hujus usum per octo vel decem dies. Et si apozema hoc ægræ fastidium creabit, tum sequens decoctum poterit parari.

R. Radic apii fenicul. cyperi longi valerian. a. $\frac{3}{4}$ l. fol. nepet. artemes. fabini. a. ms. seminum anis. baccarum lauri juniper. a. $\frac{3}{4}$ l. cort. rad. capparum. tamarisc. a. $\frac{3}{4}$ l. m. & coquantur in aquæ communis & vini albi a. part. æqual ad lib tum coletur, & ad hujus $\frac{3}{4}$ vi. addatur syrup. & succo limonum vel acetos. $\frac{3}{4}$ l. aquæ cinamom. $\frac{3}{4}$ l. tartari cristallizat $\frac{3}{4}$ l. m. fiat potio, etiam semel vel bis in die sumenda, atque sic hisce mediis sanguinis viscositas parum tollitur, & fluidior redditur massa secundum divini senis præceptum, quod ubi quis corpora veller purgare, ea facile fluentia reddere oportet. His ergo præmissis, pro humorum attenuatione necessarium erit ipsos majori in copia evacuare: Et quia alvus forte ante astricta fuerit, non erit inutile enema aliquod emolliens & laxans injicere, & postridic sequentem potionem administrare.

R. Foliorum puleg. artemes. nepet. florum cheiri lavendul. a. pii. coquant parum in aq. ros q.s. ad $\frac{3}{4}$ jj. tum superaffundatur colatura foliorum. sennæ $\frac{3}{4}$ jj. Rhei el. $\frac{3}{4}$ sal. Tartar. gr. X. m. infundantur per noctem addendo vini albi $\frac{3}{4}$ jj. tum manè sequenti coletur & colaturæ addatur syrum. rosar. solutiv. $\frac{3}{4}$ l. aq. cinamom. $\frac{3}{4}$ l. fiat potio, quæ secundum ægræ constitutionem & vires poterit magis vel minus purgans reddi. Hæc potio per triduum sit in usu, & tum diem unam vel alteram intermittat, & diebus hisce vacuis sequens mixtura sumatur.

R. Aq. Card. B. $\frac{3}{4}$ jj. aq. theriacal. $\frac{3}{4}$ vj. salis succin. vol. $\frac{3}{4}$ l. antimon. diaphor. $\frac{3}{4}$ l. camph. gr. iv. m. fiat mixtura quam ægra sumet manè post somnum moderatum fese ad sudandum componendo, & ideo etiam se melius quam ordinariè cooperiendo, & sic transpiratio promovetur & sanguis purior evadit. Interea, maxima vietū habenda erit ratio, & diæta salutaris erit instituenda: Quamvis enim verissimum sit quod dixit Hippocrates, quod corpora impura quo magis nosteriveris eò magis laeseris; cum tamen jam maxima humorum impurorum copia hisce evacuationibus sit ablata, horum loco substituendus erit chilus & sanguis bonæ notæ, quibus corporis partes possint nutriti, & spiritus possint generari, qui functionibus animalibus perficiendis inserviant. In hunc finem ergo ingerenda erunt alimenta facilis coctionis, & quæ chilum reddant fluidum & balsamicum, ut exinde talis generetur sanguis; aliás enim ægra hisce evacuationibus sum-

mopere

16 DISPUTAT. MEDICA INAUGUR.

mopere erit debilitata, nec amplius poterit fortè vel medicamenta vel alimenta digerere, vitentur omnia salsa, acida, & omnia piscium genera; hæc enim chilum reddunt viscosum & ut possit per corpus distribui ineptum: Aër inspiretur serenus ventis suaviter spirantibus agitatus; sic enim sanguini fluor & spirituscentia conciliatur, & reliqua non-naturalia sint moderata, ut somnus, motus &c. Et vinum sequens medicatum potest in usum revocari; corporis enim poros aperit, & sanguinem ad excernendum fore disponit.

℞. Rad. Galang. enul. curcum dictamn. cret. a. ȝij. fol. artemes. puleg. origan. fabin. nepet. a. mſ. baccar. laur. junip. femin. dauc. levistic. a. ȝij. flor. rum matricar. calend. chamomil. a. p. i. cinamom. el: ȝij. m. & contusis & incisis omnibus, sup. affundantur vini Rhenani optimi libræ duæ, & post infusionem factam per diem unum aut alterum, bibat ægra hauſtulum bis in die, & manè precipuè fiat vinum hoc parum calidum & instillentur guttæ aliquot tincturæ ex croco & castoreo, vel dissolvantur gr. X. alicujus salis volatilis, ut succini, &c. sic lectum servando transpiratio adjuvabitur, & sanguis adhuc purior evadet. Si salvis ægræ non respondeat tum, sequens enema injiciatur. ℞. fol. artemes. puleg. a. mj. flor. rum camom. matricar. abrotan. a. mſ. coquantur in aqua communi ad lib. i. cui addas eleſt. diacathol. ȝij. sal. gemm. ȝib. mſ. enema. Aliquando etiam pilulæ he purgantes sumantur bis vel ter in septimana. ℞. Pil. fetid ȝib. gr. ij. resin. scamon. cum gutta una olei carioph. formentur pilul. ȝ. deaurandæ & devorandæ. Interim ægræ vires & conditio sunt considerandæ. Denique sunt quædam quæ specificè dicuntur menses promovere & satis commodè in pilularum sequentium forma possunt in usum vocari. ℞. Gum. ammon. sagapen. a. ȝis. salis succin. vol. ȝij. trochisch. de mirrh. gr. XX. borac. caſtor. a. ȝis. croci optimi gr. XV. terantur omnia prout artis est, & cum oo. carioph. gutt. X. fiat massa, ex qua formentur pilul. n. XL. quorum quinque vel septem possunt sumi eundo cubitum. Conditum fieri potest pro delicioribus ex conf. anthos. cort. citri cum syr. Condituræ zz. Et salibus vol. admistis ut CC. sanguinis & aliis; sed bolus sequens potentissimè movet menses.

℞. Borac ȝij. trochis de mirrh. gr. iv oo. sabin. gtt. vii: conserv. rosmarin. ȝij. mſ. bolus sumendus, precipuè quadrivum ante tempus ordinarium fluxus menstrui, bis in die. Atque horum medicamentorum usu debito & Dei benedictione non dubitoquin sanitas poterit ſceminis ferèdeploratissimis in integrum restaurari sed

*Ni Deus adfuerit viresque infuderit herbis
Quid rogo dictamnus quid Panacea Juvat.*